St. Dr.

15971

I

Fredro J. M ~~Declam~~Gratulatio

1872. III. 58.

powinno być kart 7

D

~~2387 Bravo~~

GRATVLATIO

ILL^{mo} AC R^{mo} DOMINO,

DOMINO STANISLAO SIECINSKI,

Dei Gratia, Episcopo Præmislien: recens consecrato:

A

IACOBO MAXIMILIANO FREDRO,
in alma Academia Cracouiensi Studioso dicta.

CRACOVIAE,
In Officina Basilii Skalski, Anno Domini
1609.

In Stemma domûs Siecinianæ.



Qvid ſibi bina velint hæc cornua ſcire peroptas?
Magnanimos dictant Marte togaq; viros.
Cornibus vtq; feræ feriunt: ſic ore, manuque
SIECINIA, *auertit Patria damna, domus.*
Iure igitur Præſul tam claro STEMMATE *gaudes;*
Vt ferias, fidei Cornibus omne nefas.

Gratulatio.

POSTQVAM SINGVLARI DEI OPTIMI Maximi beneficio & voluntate, Serenissimiq; ac potentissimi Regis fauore ac beneuolentia in Episcopum Premisliensem renuntiatus es, Antistes Illustrissime, incredibilis ad omnes omnium ordinum in Polonia homines, cum magno totius Reipublicę applausu, lætitia peruenit. Etenim aspicere licebat Senatorum amænas facies, intueri nobilium amabiles vultus, cernere plebis plenos alacritate animos, omnium deniq; hominum cuiuscunq; conditionis àc sortis effusam voluptatem, & attonitam mentium admirationem videre erat: vt in omnium ore, oculis, frontibus, publicę hilaritatis vestigia manerent, omnesq; quasi Diuino mentis afflatu permoti dignitati tuę applauderent. Nec immerito: omnibus enim est perspectum atque cognitum longo tempore in hac florentissima Republica, in arduis & maximis negotiis obeundis, in grauissimis caussis summo cum labore & diligentia pertractandis, virtutem tuam esse versatam; ac ideò tibi hunc honorem, tanquam debitum præmium virtutis, summa cum acclamatione gratulantur. Verumenimvero si ornamentis imaginibusque clarissimę Familię tuę, solaq; nobilitate à maioribus tibi relicta contentus esse voluisses, neque animo ad altiora aggredienda, virtutisq; iter arduum calcandum excitatiori fuisses, profectò in obscuro latuisses, otiumque te in aliquem angulum abdidisset. Nec mirum, nemo enim adhuc factus est clarior egregia facta maiorum suorum memorando, sed ea agendo & aggrediendo, quibus maiorem lucem ac splendorem præclarè gestis maiorum suorum afferre, famamque ac splendorem nomini suo sempiternam posit acquirere. Sed cùm ad altiora natus fuisses, noluisti more ignauorum intra natalium modum senescere, sed magnorum virorum æmulatione accensa ibat in altum virtus tua, ferebaturq; impetus animi tuì ad quæuis præclara: ac ideo aula

quę vidit suspicienda in te plurima, consilium in animo, sapientiam in intellectu, pietatem in corde, magnanimitatem in pectore, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, & alia quàm plurima ornamenta, vidit inquam, nec est passa diutius absq; præmio morari virtutem tuam. Creatus itaque es Episcopus, quem tibi honorem omnes pleno ore, sereno vultu, summa cum voluptatis iucunditate gratulantur. Sed tamen huius muneris maior pars ad nos propinquos tuos pertinet, ad quos maior vis lætitiæ, maius solatium, maior expectatio patrocinii tui peruenit. Lætabimur ergo & in astra feremus heroïcas virtutes tuas, & omnem animi vim studiumque ad amplissima ornamenta tua prędicanda & illustranda conferemus. Liceat tantummodo mihi per clementiam insitam animo tuo singularem, progressum virtutum tuarum, per quas tanquam per aliquos gradus ad hoc culmen dignitatis euasisti, nuda & aperta oratione percurrendo explicare. Etenim si vniuersę vitę tuę curriculum perpendere animoque defixo considerare voluerimus, quid aliud vita tua fuit, nisi palęstra virtutum, exemplar honestatis, censura morum, laboris atque industrię spectaculum, sanctitatis asyllum: omnis denique laudis & glorię theatrum. Etenim eo loco natus es, in quo exemplis domesticis ad omnem gloriam & militarem & togatam quærendam abundare potuisti, ac propterea non erat difficillè spem de te habere magnam omnium honorum & dignitatum in Repub. adipiscendorum. Natura enim te finxit ad omnia ardua hominem magnum & excelsum, qua indole subnixus non poteras, nisi in summo consistere. Etenim ab ineunte ætate adeò amore studiorum exarseras, vt nihil tibi cordi esset, nisi vt intellectum (qui teste Aristotele, est veluti rasa tabula, in qua nihil est depictum) variis artibus depingeres, omnibusque virtutum copiis instrueres, nihil prætermittens, quod ad illius egregiam speciem pertinere videretur. Nec aliter ac ille Plato, qui licèt omnium mortalium sapientissimus haberetur, amore tamen studiorum incensus AEgyptum peragrauit. Nili-

que

que fluminis in explicabiles ripas, vastissimos campos, effusamque barbariem AEgiptiorum senum discipulus lustrabat. Vti & ille Pythagoras, & Democritus, qui relicta penu artium Græcia, non ad cultos solùm; sed & ad barbaros peregrinati sunt acri quodam cupidine discendi accensi. Sic tu exemplo eorum ductus omnia loca lustrabas, sedulam conquisitionem inquisitionem rerum faciebas, multas peregrinationes studiorum causa suscipiebas, præceptores non quosuis, sed doctissimos quosque, quibus te instituendum committeres eligebas: ex quibus tanquam ex sacris pectoribus hianti ore abditas doctrinę fontes hausisti. Iam & libri, & historię peculiares tibi non deerant, quas indagabas, & homines æuo & vsu prouecti, à quibus percunctando discebas. Quapropter tam felici cursu omnes artium liberarium disciplinas & sapientię gradus emensus es, tamque celeriter immensum literarum campum decurristi, vt facilè omnibus palmam præriperes. Tanta enim in te ingenij facilitas fuit, quanta non excogitandis solùm rebus; sed etiam illustrandis efficax est, qua facilè tibi viam ad omnes honores dexteritate tua fretus aperire potuisti. Iam zelum religionis pietatisque, qui est veluti fundamentum virtutum studiorumque, quid commemorem? Sępius enim animus tuus commorans interris corporis inclusus compagibus euolabat ex ipso carcere, liberque se ad cęlestia contemplanda erigebat, summum illud & perfectissimum Ens, eiusque attributa enixa mentis indagine ponderabat. His itaque vitę tuę fundamentis iactis facilè apparebat, quę virtutis maturitas, & quantus fructus industrię tuę erat futurus, vnde non poterat tibi reliqua spes vitę malè cedere. Tantum enim tibi pręsidij à bonis artibus comparasti, quantum non solùm ad suscipienda quęuis negotia: sed etiam ad ritè obeunda sufficeret. Digressus à scholis ad Regum palatia, statim te Crasicio Patruo tuo, viro nunquam satis pro dignitate laudato, cuius magnum semper nomen, magna auctoritas, magna in omni rerum genere gloria fuerat, coniunxisti: totumque tempus ad sta-

tuta, decreta, Ordines, ſocios, vitęque ciuilis & politicę rationem cognoſcendam contuliſti. Imitatus hac in re grande fortunę opus magnum illum Alexandrum, qui venientibus olim à Perſarum Rege legatis, feſtiuè eos hoſpitaliterque Alexander ſuſcipiens, nihil quidquam puerile percunctatus, ſed totus in ea verſus, quibus ingenia cenſeri maxima ſolent, quantę Perſarum copię, quo in loco Rex acie inſtructa dimicaret, & alia ad ſcientiam militarem pertinentia rogitabat, vt peregrini obſtupeſcentes dicerent. Puer hic Rex magnus! noſter verò opulentus. Non aliter tu aulicam vitam ingreſſus, totum tempus ad percipienda inſtituta varia gentium, ad mores conſuetudinesque maiorum explorandas, ad leges perdiſcendas, ad negotiorum varietatem & multitudinem notandam contuliſti, vt omnes ingenium tuum obſtupeſcerent. Huius itaque ductu, qui magni ſemper non ſolùm à magnis viris; ſed etiam à Regibus habitus eſt, virtus tua feliciorem & meliorem curſum nacta eſt. Ab eo enim quaſi de manu Regi ſapientisſimo traditus, ita fidem integritatemque tuam probaſti, vt grauisſima quæque negocia tuę fidei committeret, intimorumq; conſiliorum & arcanorum te faceret participem. Nec iniuria, quis enim maioribus vnquam pulchrioribusque rerum oportunitatibus fretus è caſtris Mineruę ad obſequia Regum prodiit? qui animi magnitudine, rerum intelligentia, moderatione, comitate, affabilitate; ita aulicorum moribus conuenienter viuebas, vt tamen vitia illa quę dominantur in aulis exoſa haberes. Non enim tu fraude cum verſutis hominibus, ſed veritate cum candidis: non ſimulatione cum adulatoribus, ſed candore cum ſimplicibus: non luxuria cum profuſis, ſed continentia cum temperantibus: non faſtu cum ſuperbis, ſed ſubmisſione cum demisſis hominibus certaſti. Et iam ſingulari Dei prouidentia in intimam principis amicitiam prouectus eras, iamque tua fama longè latèque increbuerat, iam dotes animi tui in lucem ſeſe efferebant, cùm tu non modò famę tuę reſponderes, ſed multa ſupra expectationem faceres. Vidit, vidit hoc Rex ſapientisſimus: Vidit

dit fidem tuam in sustinendis arduis negotiis, perspexit integritatem in pertractandis grauissimis causis: agnouit ingenium non solùm literis; sed & bellicis, & vrbanis (quę solę virtutes Regibus sunt amabiles) officiis idoneum: ac ideò omnes tui ornandi occasiones quæritans, primo quoque tempore te magni Secretarii munere amplo & illustri adornauit. Quod quanta cum laude & gloria sustinuisti, quàm castè, integrèque in eo es versatus, quis non videt? Cùm enim præcipua virtus muneris Secretaii in gloria silentii consistat, nonnè in ea virtute mirè exercitatus fuisti? Nonnè arcana prudenter celare didicisti? Nonnè hoc effręne membrum adeò habenis taciturnitatis frænasti, vt magnę sapientię tempestiuum silentium esse, omniique sermone præstantius iudicares. Perceperas profectò illud Socratis viri, cùm ingenio, tùm omni doctrina excellentis, qui discipulos suos, vt tria in omni vita seruarent, admonebat: in vita prudentiam, in vultu verecundiam, in lingua silentium. Res enim graues difficillimè possunt sustineri, ab eo cui tacere graue est. Huius tu viri præcepta secutus, adeò has virtutes amplexus fueras, vt illas semper præ oculis habendo, ab eis ne latum vnguem discederes. Quibus tantam tibi gratiam Sacrę Regię Maiestatis conciliasti, vt intimos animi sui recessus tibi aperiret, seque totum quodammodò tibi recluderet: adeòque gratus illi eras, vt præ aliis multis Salinas tuę fidei integritatique commiserit. Quod tu officium non aliter ac ille Theopompus, Thelearchiam, obscurum genus dignitatis integritate & constantia tua clarius reddidisti. Taceo reliqua Reipublicę negotia tuę fidei concessa, quę tu adeò feliciter exequebaris, vt omnes diligentiam admirarentur, prudentiam extollerent, iustitiam amplecterentur, candorem venerarentur, tuæque fidei nobiliores viri se, suaque negotia committerent. Nam quem vnquam virum maioribus virtutibus præditum vidimus, qui nullo alio præmio præposito, præter iudicium bonorum, tam magnos labores, tamque perplexa negotia susciperet, veluti tu, qui vnus ex omnibus re, non verbis docuisti,

sti: quid oportet à præstantissimis viris in Republica, & quid necesse esset fieri. O ciuem natum Reipublicę memorem sui nominis, imitatoremque Maiorum, qui exemplo bonorum & fortium virorum solius honestatis excellentia, vitam in negotiis & Reipub. obsequiis collocasti. Hîc iam interrupta mea hærebit oratio: virtutes enim tuę, quę sparsim per vniuersam vitam tuam sunt diffusę, hoc in loco mihi occurrunt, quarum tanta est maiestas, vt ad illas enarrandas Ciceronis aut Demosthenis facundia opus esset. Nam quid ego dicam de prudentia tua singulari, ad cuius præscriptum & rationem omnes virtutes constituuntur: ad quam veluti ad lancem & trutinam omnia examinando, pręterita recordabaris, pręsentia considerando disponebas, futura pręuidebas. Et cùm duobus modis habitum comparari ipsius expertus fuisses, altero vt mens disciplinis & cognitione sit munita: altero vt in negotiis multis versetur, quę partim ipsummet vnumquemque spectasse, partim verò & experientia percepisse est necessum. Nonnè in eam rem sedulam curam adhibueras, vt variarum disciplinarum genere animum erudires? Nonne in vsu & experientia assiduo versabaris? Nonne tibi ius sermonis, non in via solùm, non in hospitio, non domi, non foris; sed in omni loco & tempore fuerat? Sed intra hos fines tamen, quęrendi de moribus, legibus, principibus, bellis, casibus, & aliis rebus, certus ex illis prudentiam ciuilem tacita quadam vi comparari. Cuius beneficio id assecutus es, vt mala fugienda ac bona prosequenda discernas: rerũ deniq; necessariarum vsum & experientiam habeas, adeò vt qui tuo consilio aliquando sunt vsi, nunquam in vllum erroris scopulum impegerunt. Iam quę verba faciam de admirabili tua iustitia, quam non solùm erga magnos viros; sed etiam ergà infimę sortis homines seruasti. Nam quis vnquam repertus fuerit, qui te alicuius iniurię accusaret? Quis inuentus, qui se à te lęsum & oppresum diceret? Quem tu vnquam non modò conuitio, sed verbo etiam aspero es consectatus? Cui aliquando ignominię notam inussisti? quando iniuriam tuam

atrociter

quid ne-
i nomi-
fortium
Reipub.
oratio:
unt dif-
s, vt ad
eſſet.
præſcri-
am ve-
ecorda-
bas. Et
ſſes, al-
t in ne-
que ſpe-
Nonnê
l narum
uo ver-
n hoſpi-
at? Sed
cipibus,
lem ta-
, vt ma-
ceſſaria-
ſilio ali-
gerunt.
n ſolùm
eruaſti.
uſaret?
n tu vn-
ſtatus?
n tuam
rociter